



PHILIPPVS Pulcher, post patrē Philippum apud Fran-  
cos regnat anno mundi 5247. à Christo nato 1285. Hic Pa-  
latium in insula quam Sequana Lutetiæ facit, extruxit magnifi-  
cum: vbi forum est quod Parlamentū vocant. Vniuersam Flan-  
driam Rex, opera Caroli Valesij subigit: Vido Comes cum libe-  
ris Lutetiam captiuus adducitur. Rex à Flandris magnificè exci-  
pitur. Comes cum filio Hilermo Regi data fide, in patriam ad tu-  
multus sedandos proficiscitur: qui vbi nil promouet, ad Regem  
redit, obitq; Compendij. tribus deinde præliis plus 20000. Flan-  
drorum cæsa sunt. Certis tandem cōditionibus Roberto Vido-  
nis filio maximo, Comitatus Flandriæ redditur. Hoc Rege, Cle-  
mens quintus Lugduni in Papā coronatur: sedes Papalis Roma  
Auenionem transfertur, vbi 70. constitit annos: tribus Cardi-  
nalibus missis cum potestate Senatoria, quorum auspiciis Roma  
& Italia regeretur. Turcis expulsis, D. Ioānis Hospitalarij Rho-  
dum capiunt: qui ob id ipsum postea vocari cœperunt Equites  
Rhodij. Templariorum nomen Papa abolet, quorum reditus D.  
Ioānis Hospitalariis cōceduntur. Obiit Philippus Pulcher ad fon-  
tem Blaudi locum natiuitatis, anno regni 28. in æde D. Dionysij  
sepultus. Gagui. li. 7. Aemy. li. 8.

LVDOVICVS Hutinus Puchri filius, patri succedit, atq;  
apud Francos regnat anno mundi 5275. à Christo nato 1313.  
Hic iam ante matris Ioanæ in regno Nauarræ successerat. En-  
gerranus Marinus suppenditur, eius statua è summis palatij gra-  
dibus deiicitur. Regnat Hutinus annos ferè duos: ad Vicenarum  
saltum moritur, ad fanum Dionysij sepultus. Vide vt supra.